DISSERTATIO IX.

DE PROVIDENTIA, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

D. Thom. Quæst. 22. & 23.

COnsideratis iis, quæ ad voluntatem absolutè pertinent, procedendum est ad ea, quæ respiciunt simùl intellectum & voluntatem. Hujusmodi est autèm Providentia quidèm respectu omnium; Prædestinatio verò & Reprobatio; & quæ ad hæc consequuntur, respectu hominis specialitèr in ordine ad salutem æternam. (*Hìc q.* 22. *in proœm.*)

ARTICULUS I.

De Providentia. *D. Thom. Quæst.* 22.

§. I. *Quid sit Providentia?*

PRovidere, si nominis Etymologiam attendamus, est quasi procùl videre, & sic idem est ac præscire; si verò rem significatam per nomen spectemus, providere est ea, quæ sunt facienda, mente ordinare in suos fines. Undè Providentia divina rectè definitur: (*Hìc quæst.* 22. *art.* 1. *o.*) *Ratio ordinis rerum in finem, in mente divina existens.* (*Ibid. ad* 2.) Hujus autèm ordinis executio dicitur gubernatio. Hinc

Colliges 1. Providentiam (*Ibid. o.*) esse partem integralem prudentiæ. Prudentia enim plura complectitur, memoriam præteritorum, intelligentiam præsentium, circumspectionem circumstantiarum, solertiam in inveniendis mediis congruentibus, cautionem contra impedimenta, & tandèm providentiam, seu ordinationem mediorum aptorum ad finem, quod est principalis prudentiæ pars, ad quam cæteræ ordinantur, quatenùs ex præteritis memoratis, præsentibus intellectis, circumstantiis attentis, mediis inventis, remotis impedimentis, conjectamur de futuris providendis, & ordinamus, seu imperamus hæc media idonea in ordine ad finem consequendum. Et hinc rursùs

Colliges 2. Providentiam (*Hìc quæst.* 23. *art.* 4. *o.*) esse formalitèr actum intellectûs, supponentem tamèn actum voluntatis, scilicèt intentionem finis. Patet ex dictis. 1. Quia est actus prudentiæ, prudentia autèm est virtus intellectualis. 2. Quia, ut dictum est, providentia est ratio ordinis rerum in finem; ratio autèm & ordo pertinent ad intellectum, cujus est dirigere & disponere. 3. Ex ipso nomine *providere*, videre enim proprium est intellectûs.

Supponit tamên actum voluntatis; quia, cùm sit ratio ordinis rerum in finem, supponit intentionem finis, vi cujus mandat executionem mediorum. Concurrunt itaquè ad providentiam divinam actus virtualitèr plures, sicùt ad humanam concurrunt actus realitèr plures. 1. Voluntas divina intendit tanquàm finem manifestare gloriam suam ad extra. 2. Intellectus ad hunc finem judicat, & proponit media aptissima; scilicèt quadruplicem ordinem, naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ. 3. Voluntas hæc media sibi proposita acceptat & eligit. Demùm vi efficacis hujus intentionis & electionis, intellectus imperat horum mediorum executionem in tempore exercendam; & in hoc imperio efficaci reponimus Providentiam.

Dices: Posita electione voluntatis divinæ, nulla est difficultas in executione; voluntati Dei enim nemo resistit: ergo superfluit imperium, sicque in eo non videtur reponenda providentia, sed in electione. R. N. Conseq. Non enim ponimus in Deo imperium, quia est difficultas in executione mediorum; sed quia medium eligibile, & medium exequibile sunt objecta diversæ rationis. Primum pertinet ad ordinem intentionis, secundum ad ordinem executionis; & nunquàm medium electum mandaretur executioni, si non accederet imperium; quapropter specificant in Deo plures actus, non realitèr, sed virtualitèr distinctos. Cætera argumenta, quæ opponi possunt tàm ab auctoritate quàm a ratione, probant dumtaxat providentiam includere actum voluntatis, quod concedimus; sed non, quòd in eo formalitèr consistat.

Colliges 3. Providentiam Dei distingui a scientia ejus etiàm practica; quia scientia est de fine & mediis, providentia autèm de mediis tantùm, proùt ordinantur ad finem. Itèm distingui a lege æterna, quasi conclusionem a principio; etenim lex æterna est, secundum quam Dei providentia omnia ordinat & gubernat. (*Quæst.* 5. *de verit. art.* 1. *o.* & *ad* 2.)

§. II. *Utrùm in Deo sit Providentia, & ad omnia se extendat?*

EX Antiquis quidam in toto, quidam in parte providentiam negarunt. Qui dixerunt, omnia fato, aut fortuna regi, totalitèr Deo providentiam denegabant. Ita Democritus & Epicurus, qui posuerunt mundum esse casu factum; in quo sibi contradicebant, admittentes Deos, & ipsis providentiam denegantes, ut modò dicam: nisi fortè dicas, ut quidam opinantur, eos simulare tantùm, & ad declinandam invidiam, Deos agnovisse. Alii posuerunt, incorruptibilia tantùm providentiæ subjacere; corruptibilia verò, non secundum individua, sed secundum species, quia sic sunt incorruptibilia. Ex quorum persona dicunt Job. 22. *Nubes latibulum ejus, et circa cardines cœli perambulat, neque nostra considerat.* A corruptibilium generalitate excepit Rabbi Moyses homines proptèr splendorem intellectûs, quem participant. Cicero libr. 2. de divinat. negavit, actus nostros liberos subjacere divinæ providentiæ; quia putabit cum ea stare non posse libertatem; & ideò ut faceret homines liberos, inquit Aug. fecit sacrilegos. Proptèr eamdem rationem quidam recentiores Theologi fatentur quidèm actiones nostras liberas esse a Deo præscitas, sed non prædefinitas, ut vidimus superiùs. (*Hìc quæst.* 22. *art.* 2. *o.*)

Dico 1. est in Deo perfectissima Providentia (*Ib. art.* 1. *o.*)

Providentiam in Deo clamant omnes Script. sacr. paginæ. Sap. 14. *Tua autem, Pater, Providentia gubernat.* Et cap. 8. *Attingit a fine usque ad finem fortitèr et disponit omnia suavitèr.* Judith. 9. *Tua judicia in tua providentia posuisti.* 1. Petr. 5. *Ipsi cura est de nobis.* Similitèr eam prædicant SS. PP.

Prob. ratione. Providentia est ratio ordinis rerum in finem; atqui hæc ratio ordinis rerum in finem in Deo existit: ergo. Major est definitio Providentiæ. Prob. Min. Omne, quod est causatum a Deo, præexistit in mente divina; cùm enim Deus sit agens intellectuale perfectissimum, oportet cujuslibet sui effectûs rationem in eo præexistere (nisi velis, agens intellectuale perfectissimum cæco modo, & sine ratione agere) atqui ordo rerum in finem est, quid causatum a Deo: ergo. Prob. Min. Omne bonum est causatum a Deo; atqui in rebus est bonum non tantùm quòd sint, sed etiam quòd ordinatæ sint tùm inter se, tùm ad suos fines: ergo. Undè negare Deum esse providentem, est negare ipsum intelligentem, sicque negare esse Deum; undè omnia, quæ probant esse Deum, probant esse in eo providentiam. (*Ibid.*)

Dico 2. Omnia etiàm minima & vilissima subjiciuntur divinæ providentiæ, ita ut nihil sit fortuitum respectu Dei. Prob. 1. ex Script. Sap. 8. attingit a fine, &c. ut suprà Matth. 6. & 10. & Luc. 12. Christus docet & volatilia cœli, & hortorum lilia, & fœnum agri, & capillos capitis omninò subjici suæ providentiæ, ita ut ne unum eorum cadat absquè voluntate Patris. Et de actibus nostris liberis Eccli. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere: Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus: Sic homo in manu illius, qui se fecit.* Itèm casus, qui merè fortuiti nobis videntur, divinæ providentiæ Scriptura adscribit. Sic Exod. 21. occissio hominis ab eo, quia illam non intendebat, tribuitur Deo. Prov. 16. *Sortes*, quibus nihil est magis fortuitum, *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Venditio, incarceratio, & exaltatio Joseph, quæ videntur valdè fortuitò contigisse, Dei consilio accidisse dicuntur, Gen. 4. 5. & 50. Et sic de aliis pluribus.

Prob. 2. Ex Patribus. Aug. l. 5. de Gen. ad litt. c. 21. *Quod*, inquit, *ore suo Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quòd fœnum agri post paululùm mittendum in clibanum ipse tamen vestiat; nonne confirmat, non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputari; verùm etiàm vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina providentia regi?* S. Hieron. qui citatur in contrarium in c. 10. Matth. *Si*, inquit, *parva animalia & vilia absquè Deo Auctore non decidunt, & in omnibus est providentia &c.* in c. 32. Jerem. *Sunt*, inquit, *qui providentiam creatoris usquè ad rationalia confiteantur, bruta autèm fortuitis casibus asserant, vel perire vel vivere: Propheticusque sermo declarat, nihil esse, quod fugiat providentiam & scientiam Dei: quia alia proptèr se, alia in usum hominum sunt creata.* Quod au-

autèm opponi solet ex eodem Hieron. solutum habes Diss. 5. art. 2. §. 2. require Mitto plurimos alios Patres.

Prob. 3. ratione: Cùm omne agens, præsertim intellectuale & prudens, quale est Deus, agat proptèr finem, eò usquè extenditur ejus providentia, quæ est ratio ordinis rerum in finem, quò usquè extenditur ejus causalitas; atqui causalitas Dei, utpotè primi entis & universalissimæ causæ, extenditur ad omnia omninò entia & omnes differentias entium quorumcumque: ergo. (*Ibid.*)

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Omnis provisor sapiens & prudens, in quantùm potest, excludit deffectus & mala ab his, quorum curam gerit; atqui videmus, multa mala & naturalia & moralia in rebus esse, scilicèt monstra, venena, animalia noxia aut inutilia, sterelitates, morbos, interitus præmaturos, scelera, flagitia, sed & maximè calamitates, quibus perindè boni ac mali, imò magis boni quàm mali affliguntur: ergo vel Deus ea non potest impedire, & sic non est omnipotens; vel de his curam non habet; alioquin, quod maximè urget, quomodo permitteret justos affligi, prosperantibus impiis?

R. 1. Generalitèr, esse quidèm Provisoris particularis impedire defectus, in quantùm potest: at Provisor universalis, qualis est Deus, debet permittere defectus in aliquibus particularibus, ne impediatur bonum totius: si autèm omnia mala, omnesque defectus impedirentur, multa bona deessent Universo; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; non esset generatio unius, si non esset corruptio alterius; non esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum: undè Aug. in Enchyrid. c. 11. dicit: *Neque Deus omnipotens... ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiàm de malo.* (*Ibid. ad* 2.)

R. 2. expendendo singula; & 1. defectus naturales non tàm impugnant, quàm probant & commendant providentiam; contingunt enim, quatenùs quædam deficiunt a fine naturæ: ergo naturæ cursus tendit in finem, sicque aliqua providentia regitur. Itèm ex eis magis elucescunt perfectiones cæterorum, sicùt ex umbris colores in pictura, & ex interpositione silentii harmonia vocum in musica. 2. Venena & animalia, quæ videntur nobis noxia aut inutilitia, suam utiquè habent utilitatem: sic ex venensis mixtis exquisita conficiuntur pharmaca: sic animalia nobis noxia, sunt aliis utilitia, saltèm habent quoad esse gradum bonitatis, & concurrunt ad plenitudinem & perfectionem Universi; *Nihil inane germinat terra*, imquit Ambros l. 3. Hexam. c. 9. *quod tibi putas inutile, aliis utile est..., & sæpè eadem, quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum.* Et S. Isidorus libr. 1. de summ. bono c. 9. *Si radas*, inquit, *supercilium hominis, parvam rem demes, sed totius corporis ingeris fœditatem. Ità in universitate creaturæ est, si extremum vermiculum naturæ malum dixeris, universæ creaturæ injuriam facis.* Peccata permittit Deus; tùm ut defectibili arbitrio suus operandi modus servetur; tùm ut detur locus misericordiæ & justitiæ; tùm ob alios fines ipsi notos, nobis ignotos; quis enim consilarius ejus fuerit? 4. Quantùm ad calamitates bonis & malis communes, imò bonis frequentiores quàm malis, quod multis fuit tentatio adversùs providentiam, his dùm puniuntur mali, boni erudiuntur, purgantur, probantur, exercentur ad virtutem & præparantur ad coronam. Insupèr nemo tàm bonus, qui non aliquandò delinquat; nec tam malus, qui non aliquod bonum morale operetur; & cùm Deus nullum bonum irremuneratum, nec ullum malum impunitum relinquat, bonorum delicta hìc temporali pœna castigat, & bona moralia malorum temporali prosperitate remunerat, utriusque reservans potiorem mercedem in altera vita: quod non probat, nòn esse providentiam, sed esse alteram vitam, in qua virtuti præmium & vitio supplicium exactiùs rependetur.

Obj. 2. Si omnia subjaceant divinæ Providentiæ, nihil erit fortuitum in mundo. R. D. Ant. nihil erit fortuitum respectu Dei provisoris universalis, C. respectu nostri, N. sic concursus duorum servorum in eumdem locum utrique est fortuitus, non tamèn domino, qui ad eum locum eos mitttens, hunc concursum previdit. (*Ibid. ad* 1.)

Obj. 3. Saltèm peccata non subjiciuntur divinæ providentiæ. Prob. Juxta S. Th. in tantum extenditur Dei Providentia, in quantum extenditur ejus causalitas; atqui causalitas Dei non extenditur ad peccatum: ergo. R. D. Ant. peccata non subjiciuntur divinæ providentiæ, hoc sensu quod non provideat peccata, C. quia providere est procurare & causare, Deus autèm nec procurat, nec causat peccata; hoc sensu quòd non provideat de peccatis, N. Ea enim permittit, & permissa ordinat ad fines suos, vel ad manifestationem misericordiæ parcendo, vel ad manifestationem justitiæ puniendo, vel utendo ilis suo modo concurrentibus ad procuranda meliora bona, v. gr. salutem Martyrum per sævitiam Tyrannorum, redemptionem generis humani per scelus Judæorum. Ad Prob. sensus D. Thom. est, quòd providentia Dei non minùs extendatur; quàm ejus causalitas; at non quòd non possit magis extendi, maximè ubi agitur de providentia permissionis & approbationis.

Inst. Peccatum contingit per recessum ab ordine Providentiæ: ergo illi non subest. R. D. Ant. Peccatum contingit per recessum ab ordine Providentiæ particularis, quatenùs non servat ordinem, quem homini præscripsit Deus, C. Ant. Per recessum ab ordine Providentiæ generalis, N. Ant. Quia, ut dictum est, peccatum non fit sine Dei permissu, & de illo variè ordinat, ità ut, dùm recedit ab uno ordine, in alium incidat. Adde, quòd in suo materiali includat bonum entis, quod est Providentiæ generalis effectus. (*Hìc. q.* 103. *art.* 8.

Obj. 4. Apost. 1. Cor. 9. dicit, quòd non sit Deo cura de bobus: ergo. R. Sensum Apostoli esse, quòd non sit Deo tàm specialis cura de bobus, quàm de hominibus, qui, cùm sint liberi arbitrii, speciali modo subduntur divinæ providentiæ, ut scilicèt aliquid illis imputetur ad culpam vel meritum, & redatur eis aliquid ut pœna vel præmium. (*Hìc q.* 22. *art.* 2. *ad* 5.)

Obj. 5. Juxta Aug. in Enchyr. cap. 17. Melius est quædam nescire, quàm scire, ut vilia: ergo.

R. Nobis quidèm melius non scire mala & vilia, quàm scire; tùm quia per ea impedimur a consideratione aliquorum meliorum, eo quod non possumus omnia simùl intelligere; tùm quia cogitatio malorum pervertit interdùm voluntatem in malum. At hæc non habent locum in Deo, qui simùl omnia uno intuitu videt, & cujus voluntas ad malum flecti non potest. (*Ibid. art.* 3. *ad* 3.)

Obj. 6. S. Thom. q. seq. art. 7. o. dicit, quòd, licèt Deus sciat numerum omnium individuorum, attamèn *Numerus vel bonum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi non est præordinatus*: ergo R. S. Thom. non dicere, simplicitèr, quòd numerus boum &c. non sit præordinatus, sed quòd non sit *per se* præordinatus, quæ particula omissa in objectione importat solutionem. Vult ergo S. Doctor, quòd individua corruptibilia non præordinentur, proptèr se, sed proptèr esse perpetuum speciei conservandum; quia, juxta ipsum, ea solùm proptèr se præordinantur, in quibus essentialitèr consistit bonum Universi, & quæ ideò sunt perpetua, sicùt Universum est perpetuum; hujusmodi autèm non sunt individua, quæ perpetuitatem habere non pussunt nisi in specie. Hæc explicatio deducitur ex loco objecto, sed apertè eam tradit quæst. 5. de verit. art. 3. Confer Dissert. 5. de scientia Dei art. 2. §. 1. concl. 2. & in sol. Obj.

Petes, utrùm Deus omnibus immediatè provideat? R. Loquendo de Providentia, formalitèr sumpta pro ratione ordinis rerum in finem, Deus immediatè omnibus providet; quia in suo intellectu habet rationem omnium etiàm minimorum, cùm ad omnia etiàm minima extendatur ejus causalitas. Sed, si sumatur Providentia pro hujusmodi ordinis executione, quæ dicitur gubernatio, Deus quibusdam creaturis providet mediantibus aliis; quia inferiora gubernat per superiora, non proptèr defectum suæ virtutis, sed proptèr abundantiam bonitatis, ut dignitas causalitatis etiàm creaturis communicetur. (*Ibid. o. & quæst.* 5. *de verit. art.* 8. *ad* 13.)

Ne tamèn indè inferas, Deum non operari immediatè in omnibus; eo enim dumtaxàt sensu Deus dicitur non providere immediatè omnibus, quia utitur operationibus creaturarum ad executionem suæ Providentiæ. At aliundè quatenùs est ens per essentiam, & prima & universalissima causa, operatur immediatè in omnibus operationibus causarum secundarum, ut patet ex præcedentibus; atque eo sensu potest dici immediatè providere omnibus etiam quoad executionem.

§. III. *Utrùm Providentia sit infallibilis, non solùm quoad ordinationem mediorum in finem, sed etiàm quoad assecutionem finis?*

HIc dissentiunt ipsi Thomistæ, utrimque fundati in D. Thom. Partem affirmativam tenent Cajetanus, Bannes, Alvarez, Contensonus, Goudin, &c. sequentibus D. Th. textibus inixi S. Doctor hìc art. 4. ad 2. dicit: *In hoc est immobilis & certus divinæ Providentiæ ordo, quòd ea, quæ ab ipso providentur, cunta eveniunt, eo modo quo ipse providet sive necessariò, sive contingentèr.* Et ad 3. *Divina providentia non deficit a suo effectu, nec a modo eveniendi quem providit.* Item l. 3. contr. gent. cap. 94. Partem negativam tenent Capreolus, Ferrariensis, Nazarius, Gonzalez, quos citat & sequitur Gonet ex hoc testimonio D. Thom. in 4. d. 4. quæst. 1. art. 2. Et de verit. quæst. 6. art. 1. o. ubi dicit: *In qualibet ordinatione ad finem est duo considerare, scilicèt ipsum ordinem, & exitum* vel

vel eventum ordinis; non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem conſequuntur. Providentia ergo in finem reſpicit tantùm, undè per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; ſed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel eventum ordinis; unde non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur.

Ad quorum conciliationem dicendum arbitror, quod, cùm efficacia providentiæ (quæ, ut dictum eſt, in actu imperii circà media conſiſtit) pendeat in aſſequendo fine ex efficacia volitionis ſeu intentionis finis; ea providentia, quæ ſupponit voluntatem finis conſequentem & abſolutam, ſit infallibilis, non ſolùm quoad ordinem & executionem mediorum, ſed etiam quoad aſſecutionem finis: ea autèm providentia, quæ ſupponit tantùm voluntatem finis antecedentem & conditionatam, licèt ſit infallibilis quoad poſitionem mediorum, non ſit tamèn infallibilis quoad aſſecutionem finis.

Quamvis ergo non ſit in Deo niſi una Providentia, poteſt tamèn variè conſiderari. 1. Integrè, proùt eſt ordinatio totius entis ad finem univerſalem, qui eſt gloria Dei. 2. Proùt ſe exerit in hac vel illa rerum ſpecie in ordine ad fines particulares; quo ſenſu alia dicitur naturalis, alia ſupernaturalis; alia ordinaria, alia extraordinaria. Si igitùr providentia conſideretur integrè, eſt infallibilis quoad aſſecutionem finis, quia ejus finis nempè gloria Dei eſt efficacitèr volitus; ut autèm ſeſe exerit in fines particulares, non eſt sempèr infallibilis quoad aſſecutionem finis, quia tales fines non ſunt ſempèr efficacitèr voliti: & ſic, licèt omnes homines per Dei providentiam ad ſalutem æternam ordinentur, non tamèn omnes ſalvantur; quia iſte finis particularis, nempè ſalus omnium, non eſt a Deo efficacitèr volitus, ſed antecedentèr tantùm & ſufficientèr. Notandum tamèn, quòd omnes iſtæ Providentiæ particulares integrent univerſalem: & ſive defficiant a fine ſuo particulari, ſive illum aſſequantur, ſempèr concurrant ad aſſecutionem finis providentiæ integræ & generalis, quia illi ſubordinantur. Sic reprobus, dùm peccando deficit a fine particulari providentiæ miſerentis, concurrit ad gloriam Dei per manifeſtationem juſtitiæ vindicantis.

Ex his poſſunt conciliari teſtimonia Auctoris, in ſpeciem pugnantia. Quandò enim dicit, Providentiam eſſe infallibilem, ſuppoſito quòd loquatur de infallibilitate quoad aſſecutionem finis, & non ſolùm quoad executionem mediorum, quod tamèn negant alii; intelligendus eſt de Providentia, quæ ſupponit voluntatem conſequentem finis, ut eſt Providentia generalitèr & integrè ſumpta, & quales ſunt etiàm quædam Providentiæ particulares, v. gr. Prædeſtinatio. Quandò verò dicit, Providentiam non eſſe infallibilem in aſſequendo fine, loquitur de Providentia particulari, quæ ſupponit voluntatem finis antecedentem tantùm & inefficacem.

Si dicas cum Contenſon, quòd admittere Providentiam antecedentem repugnet conceptui Providentiæ & Prudentiæ, de cujus ratione eſt, quòd ſit conſequens & imperet effectum, R. Nos non admittere Providentiam antecedentem, ſed providentiam, quæ ſupponat tantùm voluntatem antecedentem; neque negamus, eſſe de ratione Providentiæ & Prudentiæ, quòd ſit cenſequens & imperet effectum, ſed quem effectum? executionem ſcilicèt mediorum, & non aſſecutionem finis; non enim Prudentia, ſeu Providentia imperat finem, ſed media in ordine ad finem aſſequendum, & tùnc ſequitur aſſecutio finis, quandò media imperata ſunt efficacia: ſunt autèm efficacia, quandò voluntas finis eſt conſequens & efficax; ſi enim ſit tantùm antecedens & inefficax, media adhibet ſufficientia dumtaxàt & inefficacia.

Hinc (*Hìc art.* 2. *ad* 1. *q.* 19. *art.* 6. *q.* 103. *art.* 7. *&* 8. *& alibi*) colliges, infallibilitatem divinæ Providentiæ non eſſe tantùm infallibilitatem præſcientiæ, ut volunt quidam recentiores, ſed etiàm cauſalitas; quia, ut dictum eſt, infallibilitas ejus eſt ex efficacia divinæ voluntatis a qua ſunt omnia, & quæ proindè nihil ſupponit, ex cujus proviſione dirigatur, ne a fine intento excidat. Hæc fuſiùs explanata ſunt dùm de ſcientia Dei & de decretis efficacibus: ubi etiàm oſtendimus indè non lædi libertatem, quod eſt art. 4. præſentis quæſtionis in Auctore. Vide Diſſertationes cit. & quæ dicturus ſum circa definitionem & certitudinem Prædeſtinationis.

ARTICULUS II.

De Prædeſtinatione, *D. Th. Q.* 23.

Quid ſit Prædeſtinatio?

Deſtinare vi nominis aliquandò ſignificat mente ſtatuere, & decernere aliquid faciendum, ut Mach. 6. de Eleazaro dicitur: *Deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Aliquandò ſignificat dirigere, deputare, ordinare unum ad alium, vel ad aliquem locum, ſicùt cùm dicitur quis deſtinatus morti, altaribus, &c. Sic. 1. Cor. 4. *Puto, quod Deus nos Apoſtolos oſtendit tamquam morti deſtinatos.* Prædeſtinare itaque eſt vel aliquid faciendum decernere priuſquàm fiat, vel aliquid id aliud deputare, priuſquàm mittatur.

Apùd Theologos Prædeſtinatio duplicitèr ſumitur. 1. Latè & in ampla ſignificatione pro quovis Dei decreto æterno aliquid faciendi in tempore. Quo ſenſu Aug. Tract. 68. in Joann. dixit: *Deus fecit futura ea prædeſtinando.* Et de Prædeſt SS. cap. 10. *Prædeſtinatione ſua Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Quo etiàm ſenſu deputatio reproborum ad pœnam æternam dicitur quandoquè Prædeſtinatio. Sic Aug. in Enchir. cap. 100. & Tract. 48. in Joann. de reprobis loquens dicit: *Videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos.* Et Conc. Valent. Can. 3. *Fidentèr fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, prædeſtinationem impiorum ad mortem.* At frequentiùs Scriptura, Patres, & Theologi ſumunt Prædeſtinationem ſpecialitèr pro divina ordinatione aliquorum ad gloriam, & ad media, quibus infallibilitèr obtinetur. De ea hoc ſenſu hìc agimus. Undè

Dico 1. Prædeſtinatio rectè definitur ab Aug. libr. de dono perſev. cap. 14. *Præſciencia & præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* A D. Th. hic art. 2. o. *Ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam, in mente divina exiſtens.* Hoc eſt, ipſe ordo conceptus in mente divina aliquorum in ſalutem.

Per præſcientiam in prima definitione non intelligitur ſcientia merè ſpeculativa, ſeu ſcientia media, qua Deus antè omne decretum prævidet, quid facturi ſumus ex nobis, ut volunt Recentiores; ſed intelligitur ſcientia practica & effectrix, qua prævidet Deus, quid ſit ipſe facturus; conſequentèr innixa decreto faciendi; ut ipſe Aug. explicat de Prædeſt. SS. cap. 20. *Prædeſtinatione*, inquit, *Deus novit, quid ipſe ſit facturus.* Et S. Th. q. 6. de verit. art. 1. ad 7. *Quamvis*, inquit, *ſcientia, in quantùm eſt ſcientia, non reſpiciat facienda: tamèn ſcientia practica reſpicit facienda, & ad talem ſcientiam Prædeſtinatio reducitur.*

Per *Præparationem beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur &c.* in eadem definitione, intelligitur certitudo non præſcientiæ tantùm, ſed etiàm cauſalitatis. Non enim Deus habet certitudinem de ſalute prædeſtinati, quia antequàm illam decernat, prævidit ipſum ſub auxilio gratiæ verſatilis omnibus oblatæ ex ſe perſeveratum uſquè in finem; ſed quia decrevit illi dare perſeverantiam uſquè in finem: ſeu, quod idem eſt, intelligitur præparatio beneficiorum, non ſufficientium duntaxàt & determinabilium a voluntate humana, ſed ex ſe & ut deſcendunt a Deo infallibilitèr efficacium: *Subventum eſt*, inquit Aug. libr. de corrept. & grat. cap. 18. *infirmitate voluntatis humanæ ut divina gratia indeclinabilitèr & inſuperabilitèr ageretur.* Et paulò anteà: *ipſe ergo eos facit perſeverare in bono, qui facit bonos.* Et S. Th. hìc art. 7. o. *Certus eſt Deo numerus Prædeſtinatorum, non ſolùm per modum cognitionis, ſed etiàm per modum cujuſdam principalis prædefinitionis.* Itèm apertè & latiùs q. 6. de verit. art. 3. Confer, quæ modò dicebam de certitudine Providentiæ; & quæ infrà dicam de certitudine Prædeſtinationis.

Dico 2. Prædeſtinatio eſt formalitèr actus intellectûs, ſcilicèt imperium, ſupponens tamèn actum voluntatis. (*Hìc art.* 4. *o. & q.* 6. *de verit. art.* 1.) Prima pars patet: 1. Ex definitionibus datis a SS. Aug. & Th. ſcientia enim & ratio pertinent ad intellectum. 2. Patet ex modò dictis de Providentia, cujus Prædeſtinatio eſt pars. 3. Patet; quia prædeſtinare eſt ordinare media efficacia ad ſalutem prædeſtinatorum. Atqui ordinare eſt actus intellectûs; tùm quia ordinare eſt conferre unum cum alio, collatio autèm unius cum alio eſt potentiæ intellectivæ; tùm quia ordinare aliquid in finem eſt illud ad finem dirigere, dirigire autèm pertinet ad intellectum, non ad voluntatem, quæ, cùm ſit potentia cæca, magis indiget dirigi quàm alias potentias dirigere. Hinc illud Philoſophi 2. Metaph. c. 2. Sapientis eſt ordinare.

Secunda pars etiàm patet. 1. Quia Prædeſtinatio eſt aliqua Providentia, Providentia eſt actus prudentiæ, qui dicitur imperium, ut dictum eſt art. præced. 2. Prædeſtinatio formalitèr conſiſtit in actu intellectûs circà media, & non circa finem, ut conſtat ex definitionibus: ergo vel in judicio regulante electionem mediorum, vel in imperio regulante eorum executionem: atqui non im primo: atqui in ſecundo. Prob. Min. Prædeſtinatio eſt ordinatio efficax mediorum ad finem, atqui judicium de convenientia mediorum, & regulans eorum electionem non eſt efficax, quia voluntas illa eligere non neceſſitatur, ſed manet adhùc libera, ità ut poſſit etiam in ſenſu copoſito illa non acceptare; imperium autem ſubſequens electionem mediorum eſt efficax ad illorum executionem: ergo.

Tertia pars tandêm etiàm patet; quia, cùm voluntas ſit primum movens ad executionem, & Prædeſtinatio ſit ordinatio mediorum ad finem, neceſſariò ſupponit volitionem, ſeu intentionem finis, a qua ſuam efficaciam hauriat, ſeu, ut dicit Auctor (*Hìc art.* 4. *o.*) ſupponit dilectionem, & electionem; ideò enim Deus ordinat media efficaciſſima ad ſalutem alicujus, quia vult illi ſalutem, quod eſt ipſum diligere; & quia vult illi, & non alteri, quod eſt ipſum eligere. Undè ſæpè in Scriptura, & Patribus Prædeſtinati vocantur Electi, & Predeſtinatio Electio. Hæc tamèn ſic intellige, non quaſi ſit in Deo quid prius, aut poſterius, omnia enim in Deo ſunt ſimùl; ſed quòd in actionibus divinis, quæ creaturas reſpiciunt, ſecundùm modum intelligendi, concipimus unum effectum prius altero, ſeu unum eſſe ordinatùm proptèr aliud; ità ut, quod jam non ſemèl obſervavi ex S. Doct. (*Hìc q.* 19. *art.* 5. *o.*) Deus vult hoc eſſe proptèr hoc, licèt non proptèr hoc velit hoc.

Dico 3. Prædeſtinatio eſt pars Providentiæ, non ſubjectiva, ſed objectiva. (*Hìc art.* 1. *o.*) Concluſio eſt contrà quoſdam, qui cenſent Prædeſtinationem eſſe ſub Providentia tanquàm ſpeciem ſub genere; ità quòd Providentia ut ſic dividatur in Providentiam ordinis naturæ, gratiæ, & unionis hypoſtaticæ; Providentia ordinis gratiæ in Providentiam generalem de ſalute omnium, & in Providentiam ſpecialem de ſalute aliquorum tantùm, quæ eſt Prædeſtinatio. Nos verò dicimus, Prædeſtinationem eſſe tantùm partem objectivam Providentiæ, quatenùs attingit aliquam partem ejus objecti materialis; ità ut una, & eadem Providentia divina, abſquè diſtinctione virtuali, illos tres ordines, naturæ, gratiæ, & unionis hipoſtaticæ, attingat, & ratione tantùm diverſorum objectorum materialium, ad quæ ſe extendit, diverſa nomina ſortitur: ſicùt ſcientia divina, licèt in ſe ſit unica, ratione tamèn diverſorum objectorum materialium, quæ attingit, dicitur viſionis, approbationis, ſimplicis intelligentiæ.

Prob. Unitas Providentiæ deſumitur ab unitate objecti adæquati, quod reſpicit, & ab nnitate finis, ad quem objectum adæquatum ordinatur; atqui objectum adæquatum Providentiæ divinæ eſt unum, nempè univerſum; quod ex tribus ordinibus, naturæ, gratiæ, & unionis hypoſtaticæ tanquàm ex partibus unius totius inter ſe connexis, & ſubordinatis conflatur: Finis, ad quem totum ordinatur, eſt etiàm unus, nempè gloria Dei: ergo itaquè, ſicùt Providentia regalis, quamvis reſpiciat diverſos ordines, ſcilicèt nobilium, militum, agricolarum, mercatorum, &c. eſt tamèn una, quia hos omnes reſpicit quatenùs ratione connexionis, & ſubordinationis, quem habent inter ſe, conſtituunt unum Regnum, & ad unum finem, ſcilicèt bonum totius Regni, ordinantur; ità Providentia in Deo.

Dices 1. Virtutes morales diſtinguuntur, & ſpecificantur a fine proximo, quem reſpiciunt, licèt ordinentur ab operante ad finem ultimum: ergo ſimilitèr Providentia in Deo. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd virtutes morales per ſe ratione ſui reſpiciant fines ſuos proximos. Providentia autèm Dei per ſe, & ratione ſui reſpiciat finem ultimum. Unde virtutes, quæ etiàm in nobis reſpiciunt finem ultimum, ut charitas, & providentia regalis, ab illo ſpecificantur, & non a finibus particularibus.

Dices 2. Prædeſtinatio addit aliquid ad providentiam in communi, nimirùm efficaciam medii, & conſecutionem finis: ergo eſt ejus pars ſubjectiva, & non objectiva tantùm. R. D. Prædeſtinatio addit aliquid, quod pertineat ad rationem formalem Providentiæ ut ſic, N. Ant. quod non pertineat ad rationem formalem ejus, ſed quod eſt ipſi accidentale, C. Ant. de ratione enim Providentiæ ut ſic eſt tantùm dirigere, & imperare media ad finem; quod autèm illa media ſint efficacia, id non habet ex ratione ſua formali, ſed ex efficacia intentionis, & potentia agentis, ut dixi ſuprà. Porrò non omne, quod addit ad rationem genericam, conſtituit ſpeciem; ſed quod addit aliquid pertinens ad rationem ejus formalem.

ARTICULUS III.

Utrùm ſit Prædeſtinatio?

Dico, Nedùm exiſtit Prædeſtinatio, qua Deus aliquos præ aliis certiſſimè dirigit in vitam æternam; ſed ità eſt neceſſaria, ut abſquè ea nullus ſalvari poſſit.

Prima pars eſt contrà quoſdam Paganos; itèm contrà Pelagianos, & ſemi-Pelag. 2. Contrà Molinam, & quoſdam ejus diſcipulos; qui licèt proptèr expreſſa Scripturæ, & Patrum teſtimonia admittant Prædeſtinationem certam, & infallibilem, contendunt tamèn non eſſe neceſſariam, ſed fieri potuiſſe, ut per communem Providentiam plures ſalutem conſequerentur. Itèm juxtà plures Theologos contrà Ambroſium Catharinum, qui ſingulari opinione diſtinguit duos ordines ſalvadorum; ſcilicèt eximiè Sanctos, ut ſunt B. Virgo, & Apoſtoli, & hos dicit eſſe prædeſtinatos: alios vulgaris Sanctitatis, & hos dicit ſuæ libertati permiſſos per communis providentiæ auxilia ſalutem conſequi.

Obſervat hìc Honor. Tournely, Ambroſium Catharinum nunquàm docuiſſe aliquos eſſe ſalvandos abſquè Prædeſtinatione abſolutè, ſed tantùm abſquè Predeſtinatione independente a præviſis meritis; & ejus mentem non fuiſſe aſſecutos quotquot e Theologis id ipſi tribuunt; neque enim, addit Tournelius, fuit adeò ſtolidus præſtantiſſimus Theologus, ut putaret gloriam ipſis conferri abſquè Dei decreto meritis præviſis poſteriori.

Quo aſpitante numine Doctor Molianus Theologum Ordinis Prædicatorum ut *præſtantiſſimum* laudet, & ab errore, quem ipſi plures tribuunt, vindicare tentet, inquirendi locus foret (hæc enim urbanitas ergà familiæ noſtræ Theologos rara eſt admodùm apùd Tournelium) Sed omnibus pervium eſt, Catharinum hac in parte, & in quibuſdam aliis à communibus Scholæ Thomiſticæ ſententiis receſſiſſe. Et hæc eſt pro quocumque juſta laudum materies, judice Tournelio. Fuerit Catharinus præſtantiſſimus Theologus, plus tamèn æquo ſuo genio indulgens, non inficior. Utrùm verò ejus mentem hac in parte attigerit ipſe Doctor Sorbonicus, nolim eſſe vades. Catharinus namquè impugnat acritèr, & tanquàm abſolutè falſam hanc propoſitionem: *Non niſi prædeſtinatum ſalvari*: & deridet hoc argumentum: *Non eſt quis prædeſtinatus: ergo non ſalvabitur.* Apud Echard. Script. Ord. Præd. tom. 2. pag. 149. Quod ſi ipſum ideò ſtoliditatis arguat Tournelius, eamdem labem inurat neceſſe eſt Molinæ, Suarezio, & pluribus ejuſdem Scholæ Theologis, quippè qui docent id ſaltèm fieri potuiſſe. Cæterùm, quidquid ſit de mente Catharini, quem non intendimus hìc ultrà merita aggravare, ſtabit ſaltèm concluſio contrà eos, qui dicunt id non implicare.

Probatur (*Ibid.*) 1. pars ex Script. ad Rom. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavis; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Ad Epheſ. 1. *In Chriſto ſorte vocati ſumus; prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Aug. libr. de dono perſeverant. cap. 19. dicit: *Neminem contrà iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Similitèr paſſim apùd SS. Patres.

Prob. ratione: (*Ibid.* Nihil Deus facit in tempore, quod ab æterno non præordinaverit, alioquin vel inciperet velle in tempore, vel illud eſſet ipſi caſuale, & prætèr ejus intentionem, quod utrumque eſt abſurdum; atqui Deus eſt, qui in tempore aliquos præ aliis tranſmittit ad æternam beatitudinem ut excedentem vires naturæ: ergo id ſe facturum ab æterno præordinavit, quæ æterna præordinatio eſt prædeſtinatio, ut patet ex dictis

Et hinc probata manet 2. pars. Undè inſtauratur ratio jam facta. Impoſſibile eſt, unum præ alio ſalvari niſi per Deum; tùm quia ſalus, ſeu æterna beatitudo excedit vires naturæ, tùm quia omne bonum, maximè ſalus, eſt a Deo, juxtà illud, *ſalus juſtorum, a Domino*: Et, *gratia Dei vita æterna.* Et Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*; atqui, ut dixi, eſt etiàm impoſſibile, quòd Deus aliquid faciat in tempore, quod non præordinavit ab æterno, & hæc præordinatio eſt prædeſtinatio: ergo.

Neque dicas, quòd, etſi non eſſet prædeſtinatio, perindè contingeret plures infantes baptizari, & plures antè uſum rationis mori, qui ſalvarentur. Itèm adultus non prædeſtinatus poteſt eſſe juſtus ad tempus, & eo in ſtatu aliquo caſu mori, qui perindè abſquè prædeſtinatione ſalvaretur. R. enim, quod, licèt gratia ſanctificans poſſit eſſe in non prædeſtinato, ut tamèn illa conjungatur cum morte, & ſic certò perducat ad gloriam, contingere non poſſit abſquè prædeſtinatione. Hæc enim conjunctio, quovis modo fiat, certò conducens ad ſalutem, & indè ſubſequuta ſalus, eſt dubio procùl donum Dei ab eo proviſum, & ordinatum, quæ proviſio, & ordinatio eſt ipſa prædeſtinatio.

Obj. commune, & tritum argumentum, quod continuò regerunt impii, ut liberiùs peccent; hæretici, ut neceſſitatem bonorum operum, & libertatem excludant; ſcrupuloſi ut ſe ſuperſtitioſè torqueant. Si detur prædeſtinatio certa, & infallibilis, vel ſum prædeſtinatus, vel non; ſi ſum prædeſtinatus, quidquid egero, infallibilitèr ſalvabor; ſi non ſum prædeſtinatus, quidquid egero, infallibilitèr damnabor. Quid ergo reſtat, niſi ut agam, quod lubet. R. 1. eos, qui hoc ſophiſma opponunt, ut plurimùm agnoſcere in Deo præſcientiam certam, & infallibilem; quidam enim dumtaxat ex paganis eam negarunt. Undè ſic retorqueo argumentum:

Deus scit certò infallibilitèr, me fore salvandum, vel non. Si primum, quidquid egero, infallibilitèr salvabor; si secundum, quidquid egero, infallibilitèr damnabor; quid ergò restat nisi agam, quod lubet. Ità sæpè arguebat Aug. contrà semi-Pelag. & indè concludebat de bono persev. cap. 15. quòd, sicùt per hoc sophisma non deterrebantur semi-Pelagiani a confitenda divina præscientia, ità nec debebant deterreri a tuenda divina prædestinatione.

Item, si huic dilemmati aliqua vis inesset, nemo meliùs eam intelligeret, quàm dæmones, homine longè perspicaciores, & versutiores, sicque cessarent omnes illorum insidiæ, & tentationes, ipsis sic philosophantibus: vel homines sunt prædestinati, vel non sunt; si sint prædestinati, frustrà illos tentamus, non obstantibus enim tentationibus nostris certò salvabuntur: si non sint prædestinati, etiàm nobis non tentantibus, certissimè damnabuntur. Et tamèn omnia isti agunt, omnia commovent, ut homines trahant in suas partes, tentando, insidiando, imaginationem turbando, objecta, & occasiones offerendo, &c. ac si nulla esset prædestinatio. Agnoscunt ergò dæmones, prædestinationem nihil impedimenti adferre, quominùs homines boni sint vel mali, felices vel infelices, utcumquè maluerint, fortè dicas, dæmones ità se gerere, quia non agnoscunt prædestinationem. At quomodò possunt non agnoscere, quòd, & fides, & ratio, & infelix eorum experientia tàm luculentèr evincunt?

R. 2. (*Hic art.* 8. *o.*) Falsum omninò esse, quod ex asserta prædestinatione inferunt arguentes, scilicèt: *Si sum prædestinatus, quidquid egero, salvabor*; quia Deus non prædestinat ad finem, quin simùl prædestinet ad media, quibus finis obtineri potest, & debet. Media autèm ad salutem sunt bona opera, fuga peccati, cura, & sollicitudo salutis, perseverantia in bono, &c. Providentia, inquit S. Doctor, cujus prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus, ut etiàm ordo causarum secundarum subjaceat providentiæ. Sicùt igitùr sic providentur naturales effectus, ut etiàm media seu causæ naturales ad illos effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent, v. gr. sic Deus providet, & ordinat messem futuram, ut etiàm culturam agri, & seminationem provideat, & ordinet; ità prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiàm sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet ad salutem, ut sunt orationes vel propriæ, vel aliorum, bona opera, sollicitudo, perseverantia in bono, vel quidquid hujusmodi, sine quibus salutem nemo consequitur. Undè è contra prædestinatis conandum est sollicitè ad benè operandum, orandum, perseverandum; quia per hujusmodi prædestinationis effectus certitudinalitèr impletur, proptèr quod dicitur 2. Per. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Igitùr usu quotidiano, & totius generis humani consensu hæc argumentatio falsitatis convincitur. Etenim, inquit elegantèr quidam recentior, nihil in hoc mundo geritur, quod non immutabili Dei præscientiæ ac voluntati subjaceat. Nemo diutiùs vivit, quàm Deus velit, nemo metit, nemo dives evadit, nemo hostem in bello vincit, nemo ad portum appellit, nisi quantùm, & quandò Deus ab æterno disposuit. Quis tamèn unquàm adeò desipuit, ut detrectaret conducere navim ad transfretandum, spargere semen ad faciendam messem, adhibere operam ad comparandas divitias, omnem conatum ad obtinendam victoriam, omnem curam ad servandam aut recuperandam sanitatem, eò quòd crederet omnia divina voluntate nutuque immutabili evenire? Planè deliria ista sunt, non argumenta. Si ergo pro terrena vita nemo non laborat, quamvis sciat omnia divino nutu contingere; cur non æquè laboret pro vita cœlesti, quamvis sciat nullum ad eam pervenire nisi divina voluntate prædestinatum?

Insupèr, *Numquid ideò*, inquit S. Aug. de dono persev. cap. 14. *negandum est, quod apertum est; quia comprehendi non potest, quod occultum est?* Absurdum prorsùs est, ut jam aliàs observavi, hoc philosophandi genus, ab ignotis ad nota, & non a notis ad ignota velle procedere. Nùm ideò astra influere in sublunaria, solem moveri, terram puncto in aere suspendi, mare fluere, & refluere negabis, quia quomodò hæc fiant non intelligis? Constat ex una parte omnia, Dei nutu, & voluntate regi, constat ex altera, legem esse observandam, & piè vivendum, esse liberum arbitrium, at eorum nexum cum divina prædestinatione non intelligis. An ideò falsum, quia tibi occultum? & numquid ideò negandum est quòd est apertum, quia comprehendi non potest, quod est occultum? Confer Dissert. præced. art. 4. §. 2. Obj. 1. in fine.

Honor. Tournely, qui prò suo tenaci ac amaro, quo fertur, zelo adversùs Scholam Thomisticam, nullam prætermittit occasionem illam carpendi, & ei, si posset, invidiam creandi, observat hìc, in sententia eorum, qui, rejecta scientia media, prædestinationem ad Gloriam gratuitam esse volunt, propositum dilemma non ità facilè, & ad plenam animorum pacem ac quietem dissolvi posse; quia, inquit, recurrit adversùs illa media salutis sic absolutè destinata sine ullo scientiæ conditionatæ usu: dicit enim Auctor dilemmatis: vel Deus decrevit absolutè dare mihi illa auxilia, vel non; si decrevit, ea certissimè recipiam: si non decrevit, non recipiam: quietus ergo remanebo, ac planè inutilis foret cura, & sollicitudo mea. R. 1. Hoc argumentum in omni sententia Catholica esse solvendum: omnes namquè Catholici agnoscunt in Deo omnium scientiam infallibilem, abstrahendo àn sit vel non sit causa rerum, an sit vel non sit innixa decreto. Vel ergo Deus præscit me habiturum illa auxilia, quibus consentiam, vel non. Si primum, certissimè habebo; si secundum, certissimè non habebo: quietus ergo remanebo, ac planè inutilis foret cura, & sollicitudo mea. 2. specialitèr militat contrà Congruistas: nàm vel Deus decrevit mihi dare gratiam congruam, vel non: si decreverit, certissimè recipiam; si non decreverit, non recipiam: quietus ergo manebo, & planè inutilis foret cura, & sollicitudo mea. 3. Cura, & sollicitudo salutis involvitur in ipsis auxiliis, ut eorum effectus; dantur enim ad hoc, ut sollicitè curet suam salutem, quæ non nisi mediante cura, & sollicitudine obtineri potest. Undè falsum est, in sententia nostra inutilem esse salutis curam, & sollicitudinem. De quo iterùm infrà. 4. Non satis advertit, ut arbitror, religiosus Scriptor, quò tendat ejus observatio, & quàm sit scandalosa. Sic enim, juxtà illam, arguet dilemmatis Auctor non Molinista (quot sint autèm hujusmodi, nemo nescit): præfatum dilemma vim habet in sententia eorum, qui, rejecta scientia media, prædestinationem ad gloriam gratuitam esse volunt; atqui hæc sententia est antiquior, solidior, & verior, verbo Dei scripto, & tradito, & SS. Patribus, præsertim Aug. & Th. juxtà SS. Pontificum oracula conformior, atque in scholis communior, quam sententia fundans prædestinationem in scientia media, cujus ne vestigium quidèm in Scriptura, & Patribus invenitur, quæ novellum est recentioris commentum a sæculo in scholas aliquas invectum, quæ nulla solida ratione fulcitur, quæ innumeris incommodis, & absurditatibus scatet, quæque ab omnibus scholis, exceptis Molinianis, exulat: ergo juxta antiquiorem, solidiorem, veriorem, & communiorem sententiam, conformiùsque Scripturæ & Patribus, stat, quòd, si sim prædestinatus, quidquid egero, salvabor; si non sim, quidquid egero, damnabor; proindèqne nihil mihi supersit, quàm ut genio indulgeam, & quod lubet, agam. Quæro nùnc a Doctore Pariensi, qua via sic argumentantem ad saniorem mentem revocabit? omnes proculdubio nervos intendet, ut ipsi suæ scientiæ mediæ antiquitatem, soliditatem, veritatem, dotes, præstantiam suadeat. At surdo canet, & se illi deridendum præbebit: adeò omnibus non Molinianis invisa est hæc scientia. Nihil ergò illi restat ad tollendum scandalum, quàm ut falsissimam suam observationem deleat, & agnoscat in nulla sententia Catholica hoc dilemma vim aliquam habere.

ARTICULUS IV.

Utrùm præscientia meritorum sit causa Prædestinationis?

§. I. *Prænotanda, & variæ Sententiæ?*

NOta 1. Cùm Prædestinatio (*Hic art.* 5. *o.*) includat actum voluntatis, ut dictum est, sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicùt inquiritur ratio divinæ voluntatis. Imò, propriè loquendo, hìc non agitur de ipsa prædestinatione formalitèr sumpta pro actu imperii, sed de ipsa intentione, & electione, qua Deus unum præ alio dilectum vult efficacitèr ad gloriam perducere. Electio itaqnè non sumitur strictè proùt est mediorum, sed latè proùt est personarum in finem.

Nota 2. Neque hìc (*Ibid. q.* 19. *art.* 5. *o.*) quæritur de causa Prædestinationis ex parte actûs prædestinantis; quia nulla potest assignari causa voluntatis divinæ ex parte actûs volendi: licèt enim Deus velit media esse proptèr finem, non tamèn proptèr finem vult media: hoc est, non movetur ab amore finis ad volendum media, seu ut verbis Auctoris utar: *Licèt Deus velit hoc esse proptèr hoc, non tamèn proptèr hoc vult*, quia unico actu vult finem, & media; nihil autèm est causa sui ipsius. Vide q. 19. cit. Sub quæstione ergo vertitur, utrùm ex parte effectûs Prædestinatio habeat aliquam causam; & hoc est quærere, utrùm Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis, nempe salutem, proptèr merita aliqua.

Nota 3. Nomini meriti hìc non intelligitur meritum rigorosè, & de condigno, sed etiàm meritum latè, & de congruo, imò quodcumque bonum sive naturæ sive gratiæ, quod sit vel causa, vel ratio, vel conditio sine qua non prædestinationis. Ungdè tandèm quæstio devolvitur ad hoc, utrùm sit aliquid ex parte hominis, quodcumque sit, cujus intuitu Deus aliquos præ aliis

diligit, & eligit efficacitèr perducendos ad salutem; cæteris sub voluntate generali salutis, & gratiis dumtaxat sufficientibus suæ fragilitati permissis, ac tandèm perituris. Circà quod fuerunt plures sententiæ.

Prima sententia, seu potiùs error, fuit Manichæorum, & aliorum, qui dicebant quosdam esse natura malos, quosdam natura bonos, & indè sumi rationem alios prædestinandi, alios reprobandi.

Secundus (*Hic art.* 5. *o.*) error fuit Origenis, qui dicebat animas fuisse creatas, priusquàm unirentur corporibus, & in hac præcedente vita sibi comparasse merita vel demerita, proptèr quæ prædestinarentur, vel reprobarentur.

Tertius (*Ibid.*) error fuit Pelagianorum, qui, cùm ponerent liberum arbitrium sibi sufficere ad benè operandum, dicebant merita propriis viribus comparata esse causam Prædestinationis. Damnati sunt Pelag. in Conciliis Palæstino, Milevitano, & Arausicano 2.

Quartus error fuit semi-Pelag. qui contrà Pelagianos agnoscebant, nos non posse propriis viribus absquè gratia Dei bona opera facere; contendebant tamèn, initium, & præparationem ad illa, ut pium credulitatis affectum, desiderium, petitionem auxilii, quæ inter bona opera non recensebant, esse a nobis. Sicùt, inquiebant, licèt infirmus non possit sibi comparare medicinam, & sanitatem, potest tamèn desiderare, & petere medicum. Dicebant ergo, Deum decrevisse dare gratiam iis, quos præviderat se ad illam his initialibus operibus præparaturos, & gloriam iis, quos præviderat in accepta gratia propria libertate sine dono speciali perseveraturos usquè in finem. Quantùm autèm ad parvulos præmaturè morientes, in quibus hæc initia non habentur, dicebant Deum eos prædestinasse vel reprobasse ex prævisione bonorum vel malorum operum, quæ facerent, si viverent. Hic error fuit proscriptus in Concil. Arausic. 2.

Quinta (*Ibid.*) sententia est eorum, qui dicebant merita sequentia prædestinationis effectum, scilicèt gratiam, sed prævisa, esse causam prædestinationis; hoc est, Deum dare, & prædestinasse se daturum gratiam iis, quos præscivit benè usuros gratia: sicùt, si Rex daret alicui equum, quia præscivit eo benè usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, & id, quod est ex libero arbitrio, quasi non posset esse idem ex utroque. Dicendum itaquè bonum usum gratiæ esse effectum prædestinationis, consequentèr non posse esse ejus causam seu rationem, cùm eam supponat; quia, quamvis bonus usus gratiæ sit ex libero arbitrio, est etiam ex gratia, consequentèr ex prædestinatione; non enim est distinctum id, quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio, sicùt non est distinctum, quod est ex causa secunda, & prima; divina enim Providentia producit effectus per operationes causarum secundarum. Juxtà has quinque sententias, seu potiùs errores, non solùm Prædestinatio ad gloriam, sed etiam Prædestinatio ad gratiam est ex prævisis meritis.

Sexta sententia est recentiorum, qui docent Prædestinationem esse ex prævisis meritis gratiæ; sed non uno modo eam explicant. Quidam dicunt, Deum æquali voluntate generali velle omnes salvos fieri, & omnibus indiscriminatim gratias sufficientes permissas libero arbitrio offerre; præscire autèm per scientiam mediam, qui illa gratia oblata sint ex innata libertate benè usuri, & in ea perseveraturi, & eos præ aliis ad gloriam assumere. Ità ut in illo signo præparationis mediorum ad salutem non magis diligat Prædestinatos, quàm Reprobos, nec illos ab istis discernat; sed hanc discretionem expectet faciendam per liberum arbitrium, qua prævisa gloriam decernit iis, qui se discernunt, relictis aliis. Et sic juxtà hanc sententiam, Prædestinatio ad gratiam communem Prædestinatis, & Reprobis est gratuita; prædestinatio verò ad gloriam est ex prævisis meritis, scilicèt ex præviso bono usu gratiæ. Ità Lessius, Molina, Becanus, & plures ex eadem Societ.

Alii, etiàm scientiæ mediæ defensores, posita voluntate generali in Deo salvandi omnes, & præparatione auxiliorum sufficientium ad illam salutem consequendam; dicunt. Deum per scientiam mediam præscire, quomodò quisque iis uteretur, si in his vel illis circumstantiis poneretur. Qua præscientia conditionali posita, ex omnibus, quos voluntate generali ad salutem ordinat, aliquos speciali dilectione, & misericordia seligit, quos statuit ponere in his circumstantiis, in quibus prævidit eos benè usuros gratia, & in ea perseveraturos, iisque salutem decernit; alios autèm statuit ponere in his circumstantiis, in quibus prævidit eos non benè usuros gratia, sicque eos negativè reprobat. Undè hæc electio, & discretio salvandorum a reprobis ex gratuita Dei voluntate. Sed quia in salute duo sunt connexa, nempè gratia seu merita, & gloria, dicunt Deum priùs decrevisse gratiam seu merita, & eorum intuitu gloriam: sicque prædestinationem ad gratiam propriam electis, & reipsa salvantem, eo scilicèt modo, quo potest esse salvans in principiis Scientiæ mediæ, esse gratuitam. Prædestinationem autèm ad gloriam esse ex prævisis meritis gratiæ. Ità Congruistæ communitèr.

Hic duplex modus explicandi prædestinationem ex prævisis meritis, judicio nostro, est diligentèr distinguendus; quod cùm plures omittant, multa inutilia, & confusa proferunt. Secundus namquè modus concedit aliquid, quod intendunt defensores prædestinationis gratuitæ, scilicèt electionem salvandorum, quæ est ipsa discretio prædestinatorum a reprobis, esse ex gratuita Dei voluntate, & non ex præviso creaturæ merito, quod negat primus modus. Attamèn secundus iste modus non in hoc solùm peccat, ut minùs attentè dixit doctissimus noster Goudin, quòd dicat Deum ordine præpostero priùs velle media, quàm finem; sed & in hoc potissimùm, quòd merita, quorum intuitu dicit fieri prædestinationem ad gloriam, non sint data a Deo vi potentissima suæ gratiæ, sed orta ex fundo liberi arbitrii, quod sub auxilio indifferenti se proprio nutu determinat ad bonum; sicque sempèr manet, prædestinationem ad gloriam supponere aliquid ex parte nostra, ratione cujus fiat, totamque Dei misericordiam erga electos in hoc solo sitam esse, quòd statuat eos ponère in circumstantiis congruis. Hic porrò modus defendendi prædestinationem gratuitam, de quo sibi perperàm gratulantur quidam Societ. Theologi, toto cœlo differt a modo, quo eam defendunt SS. August. & Thom. & communiùs Theologi.

Ultima ergo sententia, quam dicimus esse SS. Aug. & Thom. Scripturæ sacræ conformiorem, communioremque in Scholis, propugnat prædestinationem ex omni parte gratuitam; dicitque, Deum ex omnibus, quos voluntate antecedente vult salvos fieri, & quibus auxilia sufficientia præparat, quosdam ex pura misericordia specialiùs dilectos assumere, seu eligere ad gloriam, & indè ipsis præparare auxilia per se efficacia, quibus illam assequantur. Hanc autèm sententiam adstruemus, impugnando utrumque modum dicendi Patrum Societ. in 2. §§. seqq.

§. II. *Prædestinatio gratuita asseritur contrà sententiam Lesii, & Molinæ.*

SEdulo attende, nos hìc loqui de Prædestinatione speciali aliquorum præ aliis, seu de electione discretiva Prædestinatorum a reprobis; proindèque ab hoc conceptu prædestinationis propriè sumptæ excludi illam Prædèstinationem communem prædestinatis, & reprobis, seu Prædestinationem ad gratiam communem Prædestinatis, & reprobis, in qua totam Dei misericordiam gratuitam reponunt Lessius, & Molina.

Effectus (*Hic art.* 5. *o.*) Paædestinationis sic propriè sumptæ potest considerari duplicitèr. 1. In particulari seu inadæquatè; & sic nihil prohibet, unum effectum esse causam seu rationem alterius, de quo §. seq. 2. In communi seu adæquatè pro tota congerie beneficiorum, quibus Deus aliquos præ aliis efficacitèr dirigit, & ordinat ad vitam æternam, etiàm ipsa vita æterna est comprehensa; & de Prædestinatione sic adæquatè sumpta quærimus hìc, utrùm haberet aliquam rationem seu causam ex parte nostra, ut volunt Lessius, & Molina; an e contra sit purè gratuita, ut volunt alii. Pro cujus resolutione

Dico 3. (*Ibid.*) Prædestinatio, sumpta pro intentione, seu proposito, quod habet Deus aliquos præ aliis efficacitèr perducendi ad salutem, nullam ex parte nostra rationem habet, sed est ex mera Dei misericordia, & voluntate ejus gratuita.

Non distinguimus hìc, ut vides, inter Prædestinationem ad gratiam reipsa salvantem seu discretivam, & Prædestinationem ad gloriam. Utra sit prior? id seq. §. discutiemus: sed dicimus, Deum ex omnibus, quos voluntate generali vult salvos fieri, & quibus præparat auxilia sufficientia, aliquos præ aliis elegisse efficacitèr perducendos ad salutem, non quia prævidit eos auxiliis sufficientibus, & indifferentibus omnibus tam reprobis, quàm electis æqualitèr præparatis ex sua innata libertate benè usuros, & in bono perseveraturos; sed ex gratuita voluntate, & misericordia, qua illos præ aliis prosequitur.

Hæc conclusio sic intellecta, quæ est contrà Lesium, Molinam, Becanum, & alios ejusdem Sodalitii, ità videtur sacris Scripturis, & Traditioni conformis, ut ipse Bellarminus ejusdem Societ. insigne decus l. 2. de grat. & lib. arbitr. c. 11. de ea dicat: *Sedes Apostolica, non tantùm semèl, sed etiàm secundò & tertiò adversùs Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratuitæ Prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.* Huic sententiæ subscribunt, non solùm aliarum Scholarum celebriores Theologi, sed ex eadem Societ. Suarez, Toletus, Henriquez, Ruizius, Thyphanius, & alii plures.

Pro-

Probatur ex Scriptura.

EX veteri Testam. Exod. 33. Postquàm Dominus dixit Moysi: *Ostendam omne bonum tibi*; in quo sita est vita æterna, subdit pro ratione: *Miserebor, cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*. Et Psalm. 17. *Salvum me fecit quoniam uoluit me.*

2. Ex Evangelio. Christus Luc. 10. dicit: *Confiteor tibi Pater, quòd abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis: etiam Pater quoniam sic placuit ante te.* Ubi quòd aliqui præ aliis majoribus auxiliis donentur, refertur ad Dei prædilectionem, & beneplacitum. Et c. 12. alloquens Discipulos, dicit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Neque verum est, quod ait Tournely, Christum intelligere de beneplacito, non absoluto, & efficaci, sed de conditionato pendente a bonis operibus: 1. Quia sic non debuisset dicere *vobis* sed omnibus. 2. Quia per beneplacitum conditionatum pendens a libero nostro consensus non excuteretur timor: nisi dicas, etiàm ipsum liberum consensum gratiæ cadere sub beneplacito; quod nobis nùnc sufficit. Neque etiàm verum est, quòd objicit idem Tournely, Christum his verbis alloqui omnes discipulos, inter quos erat Judas, de quo tamèn non erat beneplacitum efficax: Qui enim dicit: Grex, collegium, communitas, non sempèr significat omnes, & singulos, qui sunt in grege, collegio, vel communitate, sed majorem, & potiorem partem. Undè Christus his verbis alloquebatur suos discipulos prædilectos, quales erant omnes prætèr Judam, & in eis omnes prædestinatos.

3. Ex Apostolo. Apost. ad Ephes. 1. dicit: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ... In quo etiam, & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ex quibus habes: 1. Deum non elegisse, quia futuri eramus sancti, aut quia prævidit nos fore sanctos, sed ut essemus sancti. 2. Nos elegisse secundùm propositum voluntatis suæ, id est, gratuita voluntate, ut gratiam suam commendaret, & ideò sorte, respectu nostri, quia nulla in nobis hujus electionis erat ratio. Quæ reponunt adversarii, modò dissolvam. Vide insupèr c. 22. ejusdem Epist. Itèm ad Tit. 3. & pluriès alibi.

Sed præ cæteris ilustre est testimonium ejusdem Apostoli ad Rom. c. 8. 9. & 11. ubi ex propositò agens de Prædestinatione gratuita, eam explicat, probat, & contrà impugnantes defendit. In primis c. 8. eam definit *propositum Dei.* c. 9. *propositum secundùm electionem.* c. 11. *secundùm electionem gratiæ*, id est, gratuitam, ut etiàm immediatè subjungit: *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia.* Deindè varias ejus dotes explicat, scilicèt c. 8. quòd *vocatis secundùm propositum omnia cooperantur in bonum.* Itèm eod. c. quòd ex illo proposito profluat vocatio, justificatio, & glorificatio; *quos prædestinavit*, inquit, *hos & vocavit*, &c. Tandèm eodem c. hujus propositi efficaciam repetit ex omnipotentia Dei: *si Deus*, inquit, *pro nobis, quis contra nos?*

Tùm c. 9. quærens, cur tàm pauci ex Judæis in Christum crederent, cùm tamèn ad Judæos, scilicèt filios Abrahæ, factæ sint repromissiones salutis; Respondet, non omnes carnales filios Abrahæ in æternis Dei consiliis fuisse filios promissionis, seu prædestinatos, sed aliquos tantùm præ aliis gratis electos. Hanc autèm gratuitam Prædestinationem multis probat, sed præsertìm 1. exemplo Jacob, & Esau, qui, cùm ex eisdem parentibus, & eodem concubitu nati essent, non ex operibus, sed ex gratia vocantibus minor est electus, major derelictus: *Cum enim nondum nati fuissent*, inquit, *aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* 2. ipsius Dei testimonio, qui dixit Moysi: *miserebor, cujus miserebor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Ex quo infert: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* 3. Idem probat principio irrefragabili; quia scilicèt nullus potest dare prior aliquid Deo, ratione cujus moveatur ad ipsum eligendum, sed omne quod habet, a Deo accipit: *Quis*, inquit cap. 11. *prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Enim verò non alia ratione Pelagiani, semi-Pelag., & Scriptores Catholici, contrà quos hìc agimus, negant prædestinationem gratuitam, quàm quia volunt aliquid esse ex nobis, quod moveat Deum ad aliquos præ aliis prædestinandos; Pelagiani bonum opus, semi-Pelag. initium boni operis, Scriptores Catholici bonum usum gratiæ. Si enim hæc omnia sint a Deo, Deus illa non expectat, nec ab iis pendet, ut aliquos præ aliis eligat; sed e contrà ea aliquibus præ aliis dat, quia illos præelegit. Atqui hæc omnia juxtà Apost. sunt a Deo: *Quis enim prior dedit illi*, &c. Et 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?*

Sed nec satis. Præcipua argumenta, quæ objici possunt, & solent adversùs prædestinationem gratuitam, sibi objicit, & solvit Apostolus cap. 9. Primùm, iniquitatem esse apud Deum, si antè prævisa merita unum assumat, alium relinquat. Secundùm, locum excusationis relinqui iis, qui pereunt, nempè non sua culpa, sed Dei voluntate, cui nemo resistit, ad peccatum, & perditionem compelli. 1. Sic argumentantem ut insolentem castigat: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo?* Deindè ad primum respondent exemplo figuli, qui, sicùt non est ideò injustus, licèt ex eadem luti massa faciat aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; ità nec Deus, in cujus manu sumus ut lutum in manu figuli, juxtà Ecclesiast. c. 33. licèt aliquos gratis assumat, aliis suæ vili conditioni relictis. Ad 2. respondet, nullum locum excusationis relinqui iis, qui peccant, & pereunt, quia Deus illos non impellit ad peccatum, sed permittit tantùm, & patientèr sustinet peccatores tanquàm vasa iræ, ad commendationem suæ justitiæ, & utilitatem Electorum. Meritò igitur omnia concludit c. 11. exclamando: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?*

His apertissimis Apost. testimoniis variè occurrunt adversarii; at infundatè prorsùs. Respondent 1. Genes. 25. & Malach. 1. undè Apostolus exemplum Jacob, & Esau desumpsit, illud non intelligi de personis Jacob, & Esau, sed de duobus populis, scilicèt Israëlitarum, & Idumæorum, ex ipsis orituris, neque de electione ad vitam æternam, sed ad beneficia hujus vitæ. Contrà: Non disputamus hìc de sensu, quem ista habent in veteri Testam. sed quem habent in Ep. Apostoli. Certum est autèm, Apostolum ea exponere spiritualitèr de rebus æternis & mysteriis Regni Cœlorum; atque per Jacob intellexisse prædestinatos, seu ipsum proposuisse ut typum Prædestinatorum, Esau ut typum Reproborum: ità ut, sicùt Jacob fuit electus gratuitò antè prævisa merita ad Regnum temporale, ità & Prædestinati ad Regnum cœleste: & sicùt Esau antè prævisa demerita fuit negativè reprobatus a Regno temporali, sic Reprobi a Regno cœlesti. Et quamvis ex mystico sensu Scripturæ non soleat erui solidum argumentum; secùs, tamèn, si iste mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, & admittitur, tùnc enim mysticus sensus libri expositi fit litteralis libri exponentis.

Respondent 2. saltèm Apostolum non loqui de prædestinane, & reprobatione singulorum hominum, sed de prædestinatione Gentilitatis, & reprobatione Judaismi. Contrà: Quamvis Apostolus sæpè loquatur de vocatione Gentium, & reprobatione Judæorum, quia Judæi existimabant ad se solos tanquàm Filios Abrahæ esse factas promissiones; loquitur tamèn etiàm de prædestinatione, & reprobatione singulorùm; quod patet ex ipso exemplo, quo nititur figuli, massæ, & vasorum in honorem & in contumeliam; non enim soli Gentiles sunt vasa in honorem, sicût nec omnes Judæi sunt vasa in contumeliam, cùm ex his multi salventur; & Apostolus ipse Judæus se sperat in numero prædestinatorum: sed ex utraque gente tamquàm ex una massa quosdam eligit, quosdam reprobat. Undê subdit Apost. c. 9. *quos et vocavit non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentilbus.*

Respondent 3. Apostolum tàm in hac Ep. ad Rom. quàm ad Ephes. & alibi, loqui de prædestinatione ad gratiam, quæ est gratuita, & non ex operibus, ut volebant Pelagiani; non verò de prædestinatione ad salutem æternam, seu gloriam, quæ supponit merita prævisa gratiæ, seu bonum usum gratiæ; idque probare tentant: 1. Quia aliàs sequeretur præsertim ex Ep. ad Rom. Reprobationem ad mortem fieri quoque antè prævisa demerita; quod nullus Catholicus admittit. 2. Sequeretur, omnes, ad quos scribit Apostolus, esse certò prædestinatos ad vitam æternam, cùm loquatur in genere de prædestinatione omnium, qui ad Ecclesiam vocati fuerant; imò, & ipsi constare se esse prædestinatum, quia in numero Prædestinatorum se ponit, cùm tamèn alibi dicat de seipso: *Castigo corpus meum, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ità videtur Honor. Tournely Doctori Parisiensi. At non ità videtur S. Thom. de Aquino paritèr Doctori Parisiensi, sed antiquiori & doctiori. Ubi enim S. Doctor expendit verba Apostoli, ut hìc art. 5. ad 3. & in Commentariis in Ep. Pauli, ea intelligit de prædestinatione ad salutem æternam. Et meritò. Nàm contrà: Apostolus loquitur de prædestinatione electorum, & qua discernuntur a reprobis; atqui talis prædestinatio non est ad gratiam communem prædestinatis, & reprobis, & qua quisque sive electus, sive reprobus benè vel malè pro nutu utitur,

ut patet, sed est prædestinatio ad gratiam reipsa salvantem & salutem æternam, hoc enim solo electi discernuntur a reprobis: ergo. Prob. Maj. 1. Quia Apost. ad Ephes. loquitur de Prædestinatione, qua Deus Prædestinatos benedicit in omni benedictione in cœlestibus; gratia autèm fidei, seu gratia versatilis, tàm reprobis quàm prædestinatis collata, non est omnis benedictio, nec est in cœlestibus. 2. Quia ad Romanos loquitur de prædestinatione, quia fiunt vasa misericordiæ præparata ad gloriam, & discernuntur a vasis iræ aptis in interitum; de prædestinatione, quæ prædestinatis omnia convertit in bonum; de prædestinatione tandèm, qua prædestinati efficacitèr vocantur, perseverantèr justificantur, & finalitèr glorificantur. Palam est autèm, hujusmodi prædestinationem non esse simplicitèr ad gratiam fidei, seu ad gratiam communem prædestinatis & reprobis, sed ad gratiam specialem, qua discernuntur electi a reprobis, scilicèt ad gratiam ipsam salvantem & consequentèr ad gloriam: àn verò ipsa gloria, àn gratia salvans sit prior in intentione Dei, non hìc inquirimus, dicemus §. seq.

Ad ratiunculas Tournely. R. ad 1. ex nostra sententia sequi tantùm, reprobationem negativam fieri antè prævisa demerita, non positivam ad pœnam æternam. De quo infra, dùm de reprobatione. Ad 2. non negabit saltèm Tournelius, Apostolum loqui de prædestinatione ad gratiam fidei, & tamèn ipsi incertum erat, àn omnes, quos alloquebatur, verè ne, àn fictè fidem amplexati fuerant. Dicendum itaquè, Apostolum non asserere ut certum, omnes, ad quos scribit, esse verè prædestinatos ad salutem, sed eos alloqui ut prædestinatos, quia id de ipsis benè sperabat ex vocatione ad fidem, qua etiàm spe in variis signis fundata ipse fretus se constituit in numero prædestinatorum, quamvis, cùm aliundè id ipsi omninò non constet, certam suam vocationem bonis operibus efficere satagat. Sic nos ex Cathedra loquentes sæpè dicimus cum Apost. *Nos Deus prædestinavit, &c. Vos Deus prædestinavit*, &c. Quia id benè speramus de iis, quos alloquimur.

Respondent 4. tandèm, quòd, si Apostolus loquatur de prædestinatione ad salutem, excludat tantùm meritum ex naturæ viribus procedens, non meritum ex bono usu gratiæ prævisum. Contrà: Adversarii non intelligunt bonum usum gratiæ, quem Deus dat, & facit; sic enim non est motivum, sed effectus prædestinationis, cùm Deus nihil det aut faciat in tempore, quod se facturum vel daturum ab æterno non præordinaverit: sed intelligunt bonum usum gratiæ, qui sit ex innata libertate; & cùm benè uti gratia sit benè operari, apertè falsum erit, quod dicit Apostolus, electionem non esse ex operibus, sed ex vocante, non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei; nàm potiùs erit ex operibus, & ex voluntate hominis præscita. Itèm falsum erit, electionem esse secundùm propositum Dei, sed erit potiùs secundùm propositum hominis ex innata libertate gratiæ consentientis. Tandèm non esset ratio, cur Apostolus miraretur, exclamaret, & recurreret ad altitudinem consilii divini; sic enim facilè solveret quæstionem dicendo, quòd iste sit electus, quia prævisus est benè usurus gratia ex innata libertate, imò ut dicit Aug. Ench. cap. 98. *Nullam, quam solvere opus esset, faceret quæstionem.*

Probatur ex Patribus, præsertim ex Augustino.

QUamvis Patres, Augustino antiquiores, parcè hanc quæstionem attigerint, quia, ut observat idem Aug. de præd. SS. c. 14. nondùm exorta hæresi Pelagiana non erat necesse illam accuratiùs expendere; nihilominùs principium statuerunt, ex quo evidentèr eruitur, docentes nimirùm, omne bonum, quod habent electi præ reprobis, esse gratuitò a Deo. Sic Cyprianus. l. 3. ad Quirinum c. 4. *In nullo*, inquit, *est gloriandum, quandò nostrum nihil est.* Sic Basil. hom. 22. *Nihil tibi relictum est, o homo! de quo gloriari possis.* Similitèr Chrysost. serm. 2. in c. 1. ad Col. Ex quo principio Aug. de dono persev. c. 19. ostendit, totum negotium salutis oriri ex gratuito Dei beneficio. Idem infert ex illo Ambr. l. 7. in Luc. *Deus, quos dignatur, vocat, et quem vult, Religiosum facit; et si voluisset, Samaritanos de indevotis fecisset devotos.* Et c. 23. ejusdem libri ostendit, universam Ecclesiam ab incunabulis hanc prædestinationem gratuitam professam esse, dùm, in suis orationibus & infidelium conversionem & justorum perseverantiam postulans, gratuitum Dei beneficium agnoscit.

At, postquàm Pelagius caput erexit & cœpit apertè bellum indicere prædestinationi gratuitæ; eam Aug. adversùs ipsum & Massilienses totius animi conatibus per plures annos integris voluminibus propugnavit. Immensum foret, quæ pro ista sententia protulit, referre: ideò rem compendiosè sequenti argumento conficiam.

Juxta Aug. de dono persev. c. 14. Entichir. c. 100. & alibi Prædestinatio *est præscientia et præparatio beneficiorum*, non qualiumcumque, non merè sufficientium; sed efficacium scilicèt, *quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Consequentèr nomine prædestinationis non intelligit prædestinationem ad aliquam gratiam versalitatem communem electis & reprobis, quam quisque suo nutu efficacem vel inefficacem reddat, sed prædestinationem ad gratiam efficacem discretivam electorum a reprobis, & reipsa salvantem; atqui perpetuò docet, hanc prædestinationem esse gratuitam, & non ex merito, aut quovis alio ex parte prædestinati præviso, quin è contra omnia merita, quibus electi gloriam merentur, præcipuè perseverantiam finalem, illis ex illa æterna prædestinatione conferri: ergo. Major est definitio Prædestinationis ab ipso Aug. tradita. Minorem verò tàm constantèr & evidentêr ubiquè, præsertim l. de corrept. de grat. de dono persev. & præd. SS. docet, ut nullus, nisi voluntariè cæcus, non viderit. Ex innumeris hæc pauca decerpo. Libr. de correp. & grat. c. 7. sic habet: *Quicumque ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quòd et procuratur eis audiendum Evangelium; et cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et* elegit *eos in Filio suo* antè constitutionem mundi *per electionem gratiæ.* Ex quibus patentèr vides, juxta Aug. prædestinationem, qua Deus vult aliquem præ alio salvare, non tantùm non supponere aliquid ex parte prædestinati: sed e contra ipsam esse causam omnium, quæ ipsum ducunt ad salutem. Libr. de dono persev. c. 9. *Ex duobus parvulis*, inquit, *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ità vocetur; inscrutabilia sunt Dei judicia.* Et c. 28. Soliloq. *Mundas autèm de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare: duos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licèt occultorum, sine eorum meritis prædestinasti antè mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, et magnificas eos pòst mundum: non omnibus autem hoc facis; quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ.* Plura videantur Epist. 105. 106. 157. Serm. 11. de verbis Apost. totis ferè libris de correpr. & grat. de præd. SS. & de dono persev. Hanc autèm prædestinationem gratuitam defendit S. Doctor, non ut opinionem propriam, sed ut dogma fidei: undè de dono persev. c. 19. dicit: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.*

S. Aug. secuti sunt alii Patres ipsò posteriores. Fulgentius libr. de fide ad Petrum c. 3. *Illi*, inquit, *cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinavit ad regnum.* Et l. 1. de verit. prædestinationis. c. 3. *Ab illa massa damnata nemo futurorum præscientia operum discernitur, sed miserantis figuli ope, atque opere segregatur. Et libr. 1. ad Maxim. c. 13. potuit, sicùt voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam; sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam. Quos autèm prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Prosper Carm. de ingratis c. 18. & 37. contr. collat. de vocat. Gent. & in Resp. ad object. Vicent. S. Greg. in 2. libr. Reg. c. 14. & l. 33. Moral. S. Bernard. 33. & 78. in Cant. Isidorus, Beda, Anselm. Hugo a S. Vict. Mag. sent. l. 1. d. 41.

Quantùm ad D. Thom. non est dubitandi locus, cùm & conclusio nostra, & sequentes rationes sint ex ipso. Insupèr eod. art. 5. ad 3. formalissimis terminis: *Quare hos elegit in gloriam, & alios reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem*, quæst. 6. de verit. art. 2. o. *causa prædestinationis nihil est aliud, quam bonitas Dei.* Et ad 11. *hoc ipsum, quod est velle accipere gratiam, est nobis ex prædestinatione divina: unde non potest esse causa prædestinationis.* Similia habet 3. contr. Gent. c. ult. In 1. dist. 41. lect. 2. & 3. in c. 9. ad Rom. l. 4. in c. 1. ad Epiph. & alibi.

In eamdem sententiam ut SS. Aug. & Thomæ consentaneam iverunt & eunt, ut jam monui, omnes Scholastici, exceptis iis ex Soc. & paucis aliis, qui Molinæ & Lesii placita sequuntur: undè Suarez ex eadem Soc. l. 2. de causa prædestinationis c. 20. loquens de prædestinatione gratuita dicit, quòd *sit sententia D. Thom. & clara D. Aug. et omnium, qui ejus sententiam sequuntur.* Hanc quoquè sententiam Facultates, Lovaniensis & Duacensis, in suis solemnibus censuris adversùs Lessium amplectuntur & propugnant ut Scripturis, Aug. & rationi conformiorem. Et Facultas Parisiensis ann. 1347. proscripsit tres sequentes propositiones Joannis de Mercurio. 1. *quòd prop-*

proptèr opera alicujus futura bona Deus præordinavit aliquem ab æterno: 2. *quòd aliquis prædestinatus est ab æterno proptèr bonum usum liberi arbitrii, quem Deus præscivit eum habiturum*: 3. *quòd non sic gratis et misericordìtèr Deus prædestinavit illum, quem prædestinavit; quin et pro omnibus bonis ipsius futuris vel alterius.*

N. B. Præsentem conclusionem iterùm & efficaciùs esse probandam ex his, quæ dicturi sumus pro sequenti conclusione: si namquè constet, ut probabimus, Deum in negotio prædestinationis primùm incipere ab intentione dandi gloriam, deindè vi hujus intentionis velle dare gratiam, & indè procedentia merita tanquàm media necessaria ad obtinendam gloriam; certo certiùs constabit, nulla prorsùs merita, seu nullum bonum usum gratiæ esse causam seu rationem motivam prædestinationis ad gloriam, sed ejus effectum. Sit itaquè

§. III. *Prædestinatio gratuita asseritur contra sententiam Congruistarum.*

CONgruistæ communitèr, ut notavimus §. 1. dicunt, quòd, cùm prædestinatio adæquatè sumpta duo importet, nempè gratiam & gloriam; Deus prædestinando incipiat ab intentione dandi gratiam, specialem scilicèt & electis propriam; deindè proptèr merita ex ea gratia speciali procedentia decernere gloriam; ità ut prædestinatio ad gratiam electis propriam & reipsa salvantem sit gratuita, prædestinatio autèm ad gloriam sit ex prævisis meritis.

Si hìc ageretur dumtaxàt de ordine, qui intercedit inter prædestinationem ad gratiam seu merita, & prædestinationem ad gloriam; & ab eis, qui volunt prædestinationem ad merita esse priorem, concederetur, quòd ista merita sint a Deo per gratiam vi sua efficacem, & non a libero arbitrio sub gratia versatili & concursu indifferenti, levis momenti foret hæc quæstio; & in hoc solùm peccarent Congruistæ, quòd ordine præpostero ponerent electionem mediorum antè intentionem finis. At, cùm defendeant, prædestinationem dicto sensu gratuitam secundùm systema scientiæ mediæ, eatenùs volunt esse gratuitam, quatenùs Deus gratuitò decernit ponere prædestinatum in iis circumstantiis, in quibus prævidit per scientiam mediam eum gratiæ versaliti ex sua libertate censensurum, quo præviso consensu perseverante illi decernit gloriam. Ità ut, juxta hunc modum explicandi prædestinationem gratuitam, retenta scientia media, prædestinatio ad gloriam in se sit etiàm ex præviso consensu libero, seu bono usu gratiæ non procedente a gratia, sed a libero arbitrio sub gratia concomitante; dùmque dicunt, Deum prædestinare ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ, non intelligunt merita, quæ gratia vi sua efficacitèr conferat operando ipsum consensum gratiæ; id enim excidium libertatis reputant; sed merita orta ex fundo libertatis creatæ, quæ auxilio, sibi oblato indifferentèr ad utrumlibet, pro nutu se determinat ad bonum: undè in eodem fermè luto hærent cum puris Molinistis. Et quia omnia ferè argumenta, quæ contra Molinam & Lessium protulimus, eludunt, ea interpretando de prædestinatione ad gloriam in semine, hoc est, de prædestinatione ad gratiam specialem, quæ est semen gloriæ, seu de illa voluntate gratuita dandi aliquibus gratiam congruam; suscipimus hìc probandum prædestinationem ad gloriam in se esse priorem hac prædestinatione ad gratiam; sicque prædestinationem ad gloriam in se non esse ex ullis prorsùs meritis prævisis, sed hæc esse illis effectum. Undè

Dico (*Hìc art.* 4. *o.*): In decreto gratuitæ prædestinationis prior est prædestinatio ad gloriam in se, quàm ad gratiam, seu merita. Consequentèr prædestinatio ad gloriam in se est merè gratuita.

Ità SS. Aug. & Thom. & omnes eorum discipuli. Huic etiàm subscribunt Suarez, & quidam alii ejusdem Soc. Sed, cùm hanc prædestinationem gratuitam propugnent, retenta scientia media, & ideò merita, quæ ex illa dimanant, non tàm sint merita gratiæ quàm liberi arbitrii, ut modò dicebamus, non censemus eos annumerandos inter genuinos defensores gratuitæ prædestinationis.

Probatur ex Scriptura interprete S. Augustino.

1. JOann. 1. dicitur: *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quæ verba exponens Aug. de grat. & lib. arbitr. c. 8. dicit: *Si vita nostra bona nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur: sed illa cui datur tantummodò est gratia, hæc autèm quæ illi datur, quoniàm præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquàm merces pro justitia.* Et c. 9. *Ex ejus itaquè plenitudine accepimus pro modulo nostro...* Quia unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autèm sic, *& ipsa est gratia: insupèr accipiemus et gratiam pro gratia, quandò nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus*: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro; *cùm priùs dixisset.* Stipendium peccati mors... *Ubi, cùm posset dicere, & rectè dicere: stipendium autèm justitiæ vita æterna; maluit dicere*: Gratia autèm Dei vita æterna: *Ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere.* Ex quibus sic argumentor: juxta Scripturam & Aug. vita æterna seu gloria est gratia, quæ nobis misericorditèr datur, & non ex meritis nostris; atqui hoc verificari non potest in ordine executionis, cùm certum sit gloria in executione esse coronam justitiæ debitam meritis nostris: ergo verificatur in ordine intentionis, in quo proindè prædestinatio ad gloriam in se est gratuita & prior prædestinatione ad merita.

Respondent 1. Adversarii, & hæc est communis eorum responsio, Scripturam & Aug. esse intelligendos de gloria non in se, sed in semine, id est, de gratia, quæ est semen gloriæ. Sed contra 1. Aug. loquitur de gloria, proùt nobis confertur in vita futura, & quæ sit vita æterna; gloria autèm nobis conferenda in vita futura est gloria in re, non in spe, seu semine; sic enim datur nobis in vita præsenti. 2. Loquitur Aug. de illa vita æterna, de qua poterat rectè dicere Apostolus: *Stipendium justitiæ vita æterna.* Non potest autèm rectè dicere Apostolus de gloria in semine, seu de gratia, quòd sit stipendium justitiæ, sed de sola gloria, seu vita æterna in se.

Respondent 2. S. Aug. in tantùm velle gloriam dari gratis, in quantùm gratia, cui datur, & per quam meremur gloriam, est gratis data, sicque gloriam esse gratuitam in semine, non in se. Et hoc habet fundamentum in verbis citatis Aug. dùm dicit: *ipsa gratia* (scilicèt gloria) *gratis datur, quia gratis data est illa* (scilicèt gratia) *cui datur.* Sed contra 1. gratia, cui datur gloria, est tantùm gratia; sed gloria est gratia pro gratia, sive est gratia duplicata: esset autèm unica gratia, si non esset gratis data nisi proptèr gratiam, per quam benè vivimus: ergo, ut sit duplicata gratia, debet esse gratis data in se. 2. Gloria, quæ dicitur ab Aug. gratia seu gratis data, potest dici stipendium justitiæ; sed gratia, per quam benè vivimus, non potest dici stipendium justitiæ, quia hæc gratia non datur meritis, sed est purè gratuita.

2. Ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocauit, hos et justificavit: quos autèm justificavit, illos et glorificavit.* Quæ verba expendens Aug. l. de corrept. & grat. c. 7. observat 1. hanc prædestinationem esse secundùm gratuitum propositum voluntatis divinæ, non commune electis & reprobis, sed propium electis: *Eos itaquè*, inquit, *vult intelligi, quos secundùm propositum vocavit; ne putentur in eis esse aliqui vocati et non electi proptèr illam Dominicam sententiam: Multi sunt vocati, pauci electi.* Quòd hæc prædestinatio sit infallibilis, quia alioquin falleretur & vinceretur Deus. 3. Tandèm, quòd hæc prædestinatio sit ad gloriam in se & non in semine, seu gratia: nàm *electi sunt*, inquit, *ad regnandum cum Christo.... Cùm itaquè audivimus: Nonne ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos verò elegit ad obtinendum regnum suum; illum ad effundendum sanguinem suum*; atqui regnare cum Christo non habetur nisi in gloria & vita futura: Regnum enim est præmium & corona, & in præsenti vita quantumcumquè quis sit in gratia, non regnat, sed meretur regnare; si sunt ergo electi ad regnum, sunt utiquè electi ad præmium & coronam. Cui consentaneum est illud Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Sensus itaquè Apostoli est: quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, non in gratia hujus vitæ, quales sunt multi reprobi, sed in gratia consummata, sive gloria, quæ est propria electis secundùm propositum; ut sic ipse primogenitus in multis fratribus, scilicèt prædestinatis ad adoptionem Filiorum, & gloriam, quia Christus est solùm primogenitus inter fratres, qui capiunt hæreditatem, non qui ab ea excluduntur. Quos autèm sic prædestinavit ad gloriam, vi hujus prædestinationis in tempore vocat, justificat, & tandèm glorificat: ità ut vocatio, justificatio, & perseverantia finalis sint effectus, & non motivum hujus prædestinationis.

Probatur Rationibus.

PRima ratio fundamentalis. Quicumque prudentèr & ordinatè agit, priùs intendit finem, quàm media; atqui Deus prudentèr & ordinatè agit, & merita sunt media, gloria est finis: ergo priùs intendit gloriam, quàm merita. (*Hìc art.* 4. *o.* & *quæst.* 6. *de verit. art.* 1. *o.*)

Quamvis non me lateat, adversarios huic brevi & ineluctabili argumento innumeras propè excogitasse responsiones, non video tamèn, quæ ejus propositio possit cum aliquo fundamento negari. Major ipso solo lumine naturali innotescit: Media enim non appetuntur proptèr se, aliàs non forent media, sed finis; sed appetuntur proptèr finem, & ex amore finis: ergo priùs debet amari finis. Insupèr, qui vult media, vel illa vult proptèr aliquem finem, vel non: si primum, ergo priùs vult finem; si secundùm, ergo ex casu, & fortuito agit, nesciens proptèr quid agat, quod repugnat prudentèr operanti. Tandèm est commune axioma Theologorum, & Philosophorum, quòd finis sit primum in intentione, & ultimum in executione. Minor non est minùs certa, quoad 1. partem, Deum scilicèt prudentèr, & ordinatè agere, ea certitudine certa est, qua certum est esse Deum. Quoad 2. partem, scilicèt merita esse media, & gloriam finem, est paritèr certa. 1. ratione; quia merita non quæruntur proptèr se, sed proptèr præmium, quod est merces meritorum, & ultimum, quo adepto cessant merita 2. ex definitione Ecclesiæ in Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. ubi dicitur, quòd *finalis causa nostræ justificationis est gloria Dei, & Christi, & vita æterna*: ergo vita exercet respectu gratiæ, & meritorum causalitatem causæ finalis, merita verò pertinent ad hanc viam, qua tendimus ad illam vitam æternam ut ad ultimum finem: ergo merita sunt media, quibus tendimus ad gloriam ut ad finem. Hæc ità aperta sunt, ut iis, qui vel rationis diluculum attigerunt, vel primis Religionis rudimentis sunt imbuti, sint pervia. Videamus tamèn, ad quas, & quantas evasiones confugiant adversarii, ut hoc brevi laqueo se extricent.

Respondet 1. Tournelius hìc §. *Solv. obj. ex rationibus*, negando absolutè maj. propositionem argumenti: scilicèt: *Quicumque prudentèr, & ordinatè agit, priùs intendit finem, quàm media.* At quo fundamento? auribus audite: *Patet*, inquit, falsitas hujus principii, *exemplo prædestinationis Angelorum, quam multi ex iis, qui nobis hìc dissentiunt*, scilicèt Jansenistæ, *censent factam esse ex prævisis meritis.* Sed contra: In primis hæc responsio nos non tangit, qui sustinemus prædestinationem Angelorum non esse minùs gratuitam; quàm hominum in natura lapsa. Undè Doctor Pariensis debuisset negare majorem in principiis Jansenii dumtaxàt, & non absolutè. 2. Fatente Tournelio, prædestinatio ex prævisis meritis, & istud principium, *qui prudentèr agit, priùs intendit finem, quàm media*, non se compatiuntur. Quid autèm in pari casu dictat recta ratio? Retinendum esse, quod magis certum est, & dimittendum, quod est minùs certum. Porrò nemo sanæ mentis, ut puto, negabit prædestinationem ex prævisis meritis, quam ipse Tournelius agnoscit esse impugnatam a pluribus, & celeberrimis Doctoribus, esse minùs certam, quàm certum sit laudatum principium, utpotè axioma communitèr receptum, totius generis humani experientia probatum, primis rationis principiis innixum, ut probavimus, a D. Th. assertum, & a nullo adversariorum, quem sciam, excepto Tournelio, absolutè negatum, sed vel distinctum, vel explicatum: ergo dimittenda est prædestinatio ex prævisis meritis, & retinendum præfatum principium. 3. Jansenius negavit hoc principium: esto. Ideòne negandum? An potior est Doctori Moliniano Jansenius negans, quàm Doctor Angelicus dissertè asserens hìc art. 4. o. *Non præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis?* Huic ergo responsioni non satis fidens, Tournelius

Respondet 2. permittendo laudatum principium, sub duplici restrictione, seu conditione: 1. quòd finis habeat tantùm rationem finis, & non præmii, aut mercedis; 2. quod intendatur absolutè, & efficacitèr, & non conditionatè, & inefficacitèr. Deus autem, inquit, non prædestinat homines ad gloriam sub una ratione finis, sed etiam sub ratione præmii, & mercedis; neque illam intendit absolutè, & efficacitèr, sed inefficacitèr, & conditionatè, si nempè velint homines benè uti auxilio gratiæ. Undè non sequitur, quòd priùs intendat finem seu gloriam, quàm media seu merita.

Contrà 1. gloria, etiàm ut præmium, & corona, se habet ad merita sicùt finis ad media. Merita enim nobis præparantur, & conferuntur, ut per illa tanquàm per media obtineamus gloriam, ut coronam, & præmium, tanquàm ultimum finem justificationis nostræ secundùm Trid. cit.; atqui, permittente Tournelio, & concedentibus omnibus, finis ut finis priùs intenditur quàm media: ergo gloria priùs intenditur, quàm merita. Palpa subterfugium Doctoris Sorbonici in exemplo familiari. Qui stat in agone, intendit bravium ut præmium, & coronam; & tamèn illud priùs intendit, quàm certamen, nec nisi ex amore bravii se certamini accingit, ea scilicèt ratione, quod bravium sit finis, & certamem medium: finis autèm priùs intenditur, quàm medium. Itèm voluntas antecedens in Deo salutis omnium est salutis ut præmii, & coronæ, & tamèn priùs sic intenditur, quàm merita; hæc enim voluntas antecedens, ut concedunt adversarii, non est ex prævisis meritis.

Contrà 2. Prædestinatio, secundùm definitionem August. quam acceptat Tournelius, est præscientia, & præparatio beneficiorum, non qualicumque, sed quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, hoc est, efficacitèr, & certò perducentium ad gloriam; atqui fieri non potest, quòd Deus velit adhibere media absolutè efficacia ad consequendam gloriam, nisi ipsam gloriam absolutè, & efficacitèr velit: ergo Deus voluntate prædestinativa intendit gloriam, non inefficacitèr, & conditionatè, sed efficacitèr, & absolutè. Prob. Min. 1. ab absurdo: is haberetur, non dico imprudens, sed penè stultus, qui adhiberet media, quæ sciret certò efficacia ad aliquem finem consequendum, & eum finem non vellet efficacitèr, & absolutè: patet in illo, qui applicaret ignem stupæ, & non vellet efficacitèr comburi stupam. Prob. 2. ratione: intentio finis est causa electionis mediorum: ergo electio mediorum efficacium supponit intentionem efficacem finis: alioquin non servaretur proportio inter causam, & effectum, sed effectus superaret virtutem causæ.

Ad hæc duo reponit Doctor Parisiensis: 1. negat hoc principium, scilicèt, quòd electio mediorum certò, & efficacitèr conducentium ad finem supponat intentionem efficacem finis. Rationem negati attende; quia, inquit, *multis reprobis nonnulla interdùm efficaciora auxilia gratiæ conferuntur, quàm electis, si unam excipias finalem perseverantiam: nec tamèn Deus ergà illos reprobos efficacem, & absolutam habet gloriæ conferendæ intentionem.* Quis non miretur hanc decretoriam argumenti refutationem? Argumentum est de auxiliis, certò, & efficacitèr conducentibus ad gloriam, proindè perseverantiam finalem includentibus. Responsio est de auxiliis efficacibus ad aliquos actus, sed perseverantiam finalem non includentibus, nec certò & efficacitèr ad gloriam producentibus: nos de cepis, ille de alliis. Me sanè tædet (sit dictum absquè injuria) his confutandis immorari, cùm aliquos non tædeat ista mirari.

2. Admittit proximè laudatum principium, si agatur de electione auxilii per se efficacis independentèr a consensu voluntatis; secùs, negat. Contrà 1. subsumo; atqui auxilia, quæ Deus præparat prædestinatis esse per se efficacia independentèr a consensu voluntatis, latè jam probavimus contra Tournelium, & alibi iterùm probabimus. Quod autèm opponit, esse de fide, quæcumque supponatur gratiæ vis, & efficacia, voluntatem posse sempèr dissentire, quod ad nauseam ubiquè repetit, quasi ullus Catholicus id unquàm absolutè negaverit, est prorsùs futile: concedimus namquè, cuilibet gratiæ voluntatem posse dissentire potentia antecedente, & in sensu diviso, non potentia consequente, & in sensu composito: concedimus, inquam, posse verè dissentire; sed & scimus, Deum, qui magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, posse efficere, ut reipsa non dissentiat, sicque hæc dissentiendi potentia non officiat efficaciæ gratiæ. 2. Abstrahamus tantillùm, àn hæc auxilia prædestinatis præparata sint ex se efficacia, àn ex consensu voluntatis: sic arguo: vel Deus præscit, illa esse efficacia, quovis modo sint efficacia, vel non. Hoc secundum dici non potest: si primum dicatur, remanet vis integra argumenti: nempè esse quoddam stultitiæ genus adhibere media, quæ scis efficacia ad assequendum aliquem finem, quem non vis efficacitèr assequi; absurdumque esse, efectum, qualis est electio mediorum respectu finis, superare virtutem suæ causæ. His omnibus puto abundè satisfactum tricis Doct. Molinistæ.

Respondent 3. alii ad principium 1. laudatum, neminem quidèm posse intendere media efficacia nisi ex amore efficaci finis, quandò sibi ipsi intendit finem per media a sola sua voluntate dependentia. Si autèm alteri intendat finem per media ab ejus voluntate dependentia, tùnc non potest efficacitèr, & absolutè intendere finem, sed inefficacitèr, & conditionatè, si nempè ille ponat media. Sic, inquiunt, aliquis non potest alteri efficacitèr velle præmium certaminis, nisi prævisa ejus victoria, sed tantùm inefficacitèr, & conditionatè, si vincat. Sic non potest quis efficacitèr, & absolutè velle mercedem operario, nisi præviso ejus labore, sed tantùm inefficacitèr, & conditionatè, si laboret. Deus autèm intendit nobis gloriam, ut coronam, & præmium per merita nostra, quæ vult a libera nostra voluntate procedere, ad illa enim nos non cogit, nec necessitat: ergo vult tantùm inefficacitèr, & conditionatè nobis gloriam. Sed contrà: hæc responsio, quæ fermè coincidit cum præcedenti, nititur falso supposito, scilicèt merita nostra, quantumvis libera, non esse in manu, & potestate Dei, quod est omninò falsum. Deus enim, juxta Scripturam, *operatur omnia, operatur velle, & perficere; in ipso vivimus, movemur, & sumus: ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: Et juxta Aug. *habet cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem, habet magis in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.* De cor. & gr. cap. 14. *Et dùm nostra merita coronat, sua dona coronat.* Nec ideò nos cogit, aut necessitat, sed juxta eumdem Aug. l. 1. contr. duas Ep. Pelagii, omnipotentia sua *facit ex nolentibus volentes, ev repugnantibus consentientes.* Et l. de gr. & lib. arb. cap. 16. *facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas*